ſunt infrequentia in jure noſtro. Duo delibabimus. „ Si quis alium (ita habet §. 3. *Inſtit. de* „ *inutilib. ſtip.*) daturum, facturum-ve quid ſpo- „ ponderit, non obligatur: veluti ſi ſpondeat, „ Titium quinque aureos daturum. Quod ſi „ *effecturum ſe*, ut Titius daret, ſpoſponderit, „ obligatur. „ Alterum ſnppeditat *lex* 8 §. 1. *ad SCtum Vellej.* „ Si mulier (ita ibidem ULPIA- „ NUS) intervenerit apud tutores filii ſui, ut hi „ prædia ejus diſtraherent, & indemnitatem eis „ repromiſerit. PAPINIANUS *lib.* 9. *quæſt.* non „ putat, eam interceſſiſſe: *nullam enim obligatio-* „ *nem alienam recepiſſe, neque veterem, neque no-* „ *vam, ſed ipſam feciſſe hanc obligationem.*

29. Contrahamus dicta. Quæ principali debitori (hæc regula eſt) ſuppetunt beneficia, eadem ſe diffundunt in fidejuſſorem: niſi (en exceptionem!) hic ita acceſſerit, ut illius ſuppleat defectum. Regulam quod attinet, redi ad dicta *n.* 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. Quoad exceptionem vide *n.* 22. 23. 24. 25. 26. & 27.

CAPUT V.

SATISFIT CONTRARIIS.

30. Quæ doctrinæ noſtræ adverſari videntur, non ſunt ejusdem generis: quædàm enim

enim rectâ, obliquè alia eandem petunt. Illorum hoc PRIMUM est: „ Postquam (ita respondent „ SEVERUS & ANTONINUS in *leg.* 1. *Cod. de fidejussor.* „ *minor.*) in integrum ætatis beneficio restitutus „ es, periculum evictionis emptori, cui prædium „ ex bonis paternis vendidisti, præstare non co- „ geris. *Sed ea res fidejussores, qui pro te interve-* „ *nerunt, excusare non potest.* „ ALTERUM: „ Si ea (verba sunt DIOCLETIANI & MAXIMIANI in „ *leg.* 2. *Cod. eod. tit.*) quæ tibi vendidit possessio- „ nes, interposito decreto præsidis, ætatis tan- „ tummodo auxilio juvatur, *non est dubium, fide-jussorem ex personâ suâ obnoxium esse contractui.* Addunt TERTIUM, legem nempe 13. *ff. de minor.* quam *n.* 23. habes ob oculos positam. Hæc sunt communis sententiæ fulcra: præter illa, quid quid jactitant, audiri non meretur. Videamus igitur, quid habeant roboris. Duæ priores, si juxta sensum tertiæ (dictæ scilicet legis 13. *ff. de minor.*) explicemus; non adversariis, sed nobis, quàm impensissimè favet tota trias. Hoc autem modo esse intelligendas, non tantum communis ratio (jubens, cum lege componi legem) sed & argumentum earum evincit. Vendiderat minor prædium ex bonis paternis: evictioni igitur

tur præſtandæ, ob ea, quæ retinebat, bona, par erat. Ad hanc præſtandam ipſa rei indoles (vide *leg.* 6. *cod. de evict.*) eundem, ſine ſpeciali pacto, obligabat. Horum nihil ignorabat emptor: majoris tamen ſecuritatis causâ accerſi, ſibique ſiſti volebat fidejuſſorem. Cui bono? ætatis illum adhuc terrebat lubricum: hujus proinde defectum ab alio ſuppleri, deſiderabat. Atque hoc ita eſſe, præter dicta, ſitus earundem legum ſatis docet: eo enim è loco ſunt decerptæ, ubi non de fidejuſſione in *genere*, ſed de *fidejuſſione minoris* (nempe quatenùs minor eſt) in ſpecie agitur. neque aliàs, ſine ulla hæſitatione, dici potuiſſet: *dubium non eſt fidejuſſorem* (ſubducto debitore principali) *ex perſonâ ſuâ obnoxium eſſe contractui:* dum, quas *n.* 13. memoravimus, leges contrarium ſtatuunt. Idem reſpondendum *ad leg.* 127. *ff. de verb. oblig. leg.* 25. *ff. de fidejuſſor. leg.* 95. § 4. *de ſolut. leg.* 35. *ff. de recept. & qui arbit.*

31. Quô tandem obliquè adoriuntur ſententiam noſtram adverſarii, hoc eſt: obligatur pupillus (ſic ajunt) naturaliter: non proprio quidem, alieno tamen damno; prout colligitur ex *leg.* 1. *in fine ff. de novat.* „ Verba ejus hæc ſunt: = illud „ non intereſt, qualis præceſſit obligatio: utrum

„ naturalis, an civilis, an honoraria; & utrum
„ verbis, an re, an consensu. Qualiscunque igitur
„ obligatio sit, quæ præcessit, novari verbis potest:
„ dummodo sequens obligatio aut civiliter teneat,
„ aut naturaliter: *ut puta si pupillus sine tutoris*
„ *authoritate promiserit.* „ Cùm proinde supra *n.* 6. ipsi nos fassi simus, naturali obligationi posse accedere fidejussorem; inde colligunt, obligari hunc, non obligato (in proprium scilicet damnum) pupillo. Verùm nimis sterile, hoc est argumentum, doctísque omnino indignum. Quàm enim variè laborent interpretes, ut germanam legis hujus eruant sententiam, vel ex DYONISII GOTHOFREDI notis, quibus eandem illustrare conatur, abundè liquet. Quæ verò illa sit philosophia, obscurum demonstrare per obscurius? Sed etsi profusè simus liberales; ac proinde largiamur, eum esse, quem rei tuæ obtendis, legis sensum; nil tamen proderit: cùm â novatione immanè quantùm distet fidejussio. Qui novando alienum in se recipit debitum, obligationem antiquam omnino perimit; ac se solum constituit debitorem: qui fidejubet, salvam vult, servatque, antiquam; neque novam aliter facit, quàm ut hæc priorem in omnibus imitetur. Qui novando alium agnoscit debi-

debitorem, antiquum prorſus dimittit; qui fidejuſſorem poſtulat, hunc ita admittit, ut debitoris principalis perſeveret obligatio; ſitque hæc (qualiscunque concipiatur) unica fidejuſſionis menſura. Ex paucis his intellexeris utique, quantum fidejuſſionem inter & novationem ſit diſcrimen; indeque argutiarum tuarum agnoſces ineptias. At nondum (ais) ſublata eſt difficultas. Reſtat enim, quod pupillus in *eâd. l. ff. de novat.* dicatur naturaliter obligari: non proprio; ergo alieno ſaltèm damno. Si hoc; (ita pergis) nihil obeſt, quo minus naturali huic obligationi fidejuſſor accedere, hicque & naturaliter & civiliter (ſuo damno) obligari poſſit. Verùm ſit naturaliter, ſit etiam (*ex re* nempe) civiliter obligatus pupillus; quidquid huic datum eſt, quo ſe obligatione poſſit liberare, eodem (quod audiiſti) gaudebit fidejuſſor. Aliud ſanè ſtatutum in debitore delegato: hic enim etſi legitimas adversùs ſuum olim creditorem habuerit *exceptiones;* has tamen novo creditori opponere non poterit. *Vid. leg.* 12. *ff. de novat.* Nequit igitur dici, quod & hìc nova obligatio ſit veteris nuda, pura, ſimplex imitatrix. Capies (nunc quoad rei controverſæ cardinem) vaſtiſſimum diſcrimen. Oſtendimus

dimus itaque, obliquum (quo utebaris) argumentum nobis non obesse: evincamus modò, idem nobis egregiè prodesse. Interdum (sic „ ait Imperator in §. 3. *Instit. quib. mod. oblig. toll.*) „ licet posterior stipulatio inutilis sit, tamen prior „ novationis jure tollitur: veluti si id, quod tu „ Titio debes, hic à pupillo sine tutoris auctori- „ tate stipulatus fuerit; quo casu res amittitur. „ *Nam & prior liberatur, & posterior obligatio nulla est.* Eccur prior debitor liberetur; licet posterior obligatio sit nulla? cur non dicatur potiùs, in veterem debitorem dari actio? quemadmodum PAULO Visum in *leg.* 1. §. 2. *ff. ad SCtum Vellej.* -- Æquum autem (sic ait ibidem jurisconsultus) visum est, *ita mulieri succurri, ut in veterem debitorem, aut in eum, qui pro se constituisset mulierem ream, actio daretur: magis enim ille, quàm creditor, mulierem decepit.* -- Scitè omnino IMPERATOR in eâ, quam tractat, specie statuit; scitè in diversâ respondet PAULUS. quid igitur interest? plurimum sanè: Titius (hæc Imperatoris est species) ab eo, quem pupillum sciebat, & quem nemo delegaverat, sponte (velut ex luxuriâ, aut petulantiâ) stipulabatur, quod alius debebat; dimissurus debitorem

bitorem veterem, modò pupillus promittat, ejus loco ſe ſoluturum : Cajus verò (ſic PAULO diſceptabatur) ſuum in locum, ceu ream, creditori conſtituerat mulierem; & dubitabatur, an liberatus ſit antiquus creditor. Æquiſſimè hâc in quæſtionum diverſitate ſtatutum, illic amiſſam, hìc ſervatam in veterem debitorem eſſe actionem. Diſcriminis rationem ipſa, quæ recitavimus, verba ſatis produnt. Titius novum ſibi liberrimè ſelegit debitorem, nullo delegante, nemine conſtituente. Novum (inquam) ſelegit debitorem: non poterat ergo non velle dimiſſum veterem; cùm hoc expromiſſionis poſtulet natura. Sed quem voluit? pupillum : atque ideò obligationis incapacem. Voluit tamen: an ignorans fortè? Sciens, prudensque. Quidquid igitur hâc in ſpecie actum à creditore, ſuo is egit periculo, ſuoque damno. Quem enim voluit novum debitorem, conſecutus eſt; talemque eſt conſecutus, qualem (ſelectâ pupilli perſonâ) velle poterat. In alterâ verò ſpecie mulier â creditore non erat ſponte electa; ſed eidem, ceu rea, â vetere debitore *conſtituta*, obtruſa : *magis enim hic, quàm Creditor, mulierem decepiſſe* videbatur.

Habes discrimen: sed & hoc habes, quàm egregiè (quod ostendendum erat) doctrinæ nostræ faveat Imperator. Unum adhuc observandum: quàm nempè soleat insulsè discrimen utriusque speciei in eo poni, quòd mulieris (debitum alienum recipientis) obligatio sit â senatu omninò improbata: pupilli verò eatenus duntaxat, ne huic noceat; possit nocere alteri. Aliam dicta Lex 1. §. 2. *ff. ad Sctum Vellej. dictusque* §. 3. *Instit. quib. mod. oblig. toll.* nobis inculcant; ut, si mulier eodem modo, quo pupillus, sponte fuisset electa, idem etiam esset statuendum.

COROLLARIA.

1. *Justitia est virtus moralis inclinans voluntatem ad æqualitatem conservandam.*
2. *Nescia est specierum essentialiter diversarum.*
3. *Jus naturæ est ordinatio divina salutem publicam conservari Jubens.*

4. *Ab*